

1554 norum redditus in Venetis ditionibus capi a militibus possent, iufferat, eorundem proventus penes sequestros reponi mandavit.

Cæsar vero, Germaniæ utcumque seditionibus compressis, cum omnes curas ad bellum cum Gallis gerendum transtulisset, ab obitu Eduardi Anglorum Regis, Britannos, qui Gallis semper infensi fuerant, sibi adjungendi occasionem nactus, Mariam, quæ nuper regnum adepta fuerat, sibi arcta cognatione junctam, utpote ex Catharina, Joannæ matris sorore, Ferdinandi Aragonum Regis filia, ortam, Philippo filio connubio jungere decreverat; atque re agitata, Reginam ad nuptias celebrandas illexerat. Inde dotali jure amplissimum regnum ad Philippum deducebatur, ac licet trigesimum atque octavum annum Regina attigisset, Philippo in juventæ flore constituto, attamen in Cæsare cuncta Britannia potius cupido vicerat.

*Philippi
Hispaniarum
et Mariæ
Angliæ Re-
ginæ nuptiæ
Aloysius
Cordubensis
Cæsaris ad
Venetos ora-
tor.*

*Anglorum
decretum de
Catholica
religione re-
stituenda.*

Connubii leges fuere, ut Philippus aulicis tantum comitatus in Britanniam trajiceret; nemo ex suis ad munia regni capefenda admitteretur; si qua suscepta sibi ex Maria mascula soboles fuisset, Britannia non modo regnum, sed etiam Belgium obtineret. Philippo in Angliam profecto, magna nuptiæ lætitia concelebrata sunt; qui adventum ejus in Angliam initumque connubium significaret, Aloysium Cordubensem ad Senatum misit. Gratia Regi acta; Joannes Michaelius legatus publicam lætitiā Regi, ac Reginae patefecit. Sub id tempus comitiis totius Regni habitis, de Catholica religione restituenda decernitur, quæ superioribus annis Henrici Regis libidine labefacta, ad pristinum nitorem redigi, cœpta est. Ex ea re cum ob insitum in Republica Catholicae religionis studium, ingentem lætitiā Senatus cepisset, per Michaelium legatum apud Philippum, ac Mariam, eximiam eorum virtutem, ac pietatem, qua Deus Optimus Maximus ad opus adeo præclarum conficiendum usus esset, summis laudibus extulit. Julio quoque Pontifici Maximo gratulatus est, quod ea tempestate pontificatum nactus esset, qua amplissimum, atque avitæ religionis gloria præfulgidum regnum, erroribus ejectis, ac profligatis, Catholica se Ecclesiæ rursus adjunxisset. Cum Reginaldo Polo Cardinali eodem officii genere fungi Michaelius jussus, qui cum a Julio legatus in Angliam missus esset, tantum morum integritate, doctrina, ac prudentia esse-

*Reginaldus
Polo, Ju-
lii Pontifi-
cis legatus
in Angliā.*